# R. P. D. REVTINGERO

## Hispaleñ. iuris amouendi Curatos.

*Veneris 20. Aprilis 1640.*

DOMINI dixerunt dandum esse mandatum de manutenendo Eminentiss. D. Card. Archiepiscopo in possessione vel quasi amouendi curatos ab exercitio curæ animarũ ad nutum, & liberam eius voluntatẽ in tota Diœcesi Hispaleñ.

1 Licet enim in materia manutentionis sufficiant leniores probationes *Menoch. de retinen. remed. vlt. num. 34. Seraph. decis. 624. num. 5. Ludouis. decis. 275. num. 10.* & vnicus testis admittatur *Menoch. & Seraph. vbi sup. Rota decis. 375. num. 1. part. 3. diuers.* & in iuribus incorporalibus vnicum actum suffragari tradat plenè *Rota decis. 17. num. 1. par. 2. diuers. Rip. in cap. cum Ecclesia num. 52. & 53. de caus. poss. & propr. Alex. cons. 74. num. 16. lib. 4. Crauett. cons. 124. num. 4.*

2 Hic tamen multiplices, & abundantes probationum species habemus.

3 Et primò plures testes deponẽtes ex certa scientia de visu per spacium 40. annorũ, & amplius, & abindè supra de auditu à senioribus recensentibus etiã plurimos actus positiuos dictæ amotionis liberæ sine causa *Summ. num. 5.* & similes depositiones probare ad effectum manutentionis tradit *Posth. obseru. 19. num. 2. 4. & 5.*

4 Imò talis depositio cum habeat requisita *glos. in cap. 1. de præscript. in 6.* facit plenam probationem, non solum ad effectum manutentionis, sed etiam in petitorio, etiam in materia contra ius *Abb. in cap. cum venissent, nu. 8. de instit. Rot. decis. 685. num. 3. par. 1. recent. & decis. 595. num. 4. par. 1. diuers. Franc. in cap. cum personæ in §. fin. de priuil. in 6.*

5 Secundo alios testes qui licet fuerint examinati contra diuersas personas, adhuc tamen faciunt plenam probationem, cum deponant super statu rei ad *text. in l. ingenuum ff. de stat. homin. Ludouis. decis. 498. num. 9. Caual. decis. 575. nu. 8.* Et saltem negari non potest quin magnum faciant adminiculum, cum iuxta eorũ dicta ad fauorem Archiepiscopi fuerit iudicatum *Buratt. decis. 488. num. 3. Rot. decis. 101. num. 12. part. 5. recent.*

6 Et hæc quidem quasi possessio suffragatur D. Archiepiscopo cõtra omnes curatos, cum certi iuris sit in vniuersalibus quasi possessionem de vno actu extendi ad omnes alios comprehensos sub eadem specie vt dixit Rota in allegata *decis. 17. par. 2. diuers. num. 3.* & tradunt communiter *Petr. Cyn. Salycet. & alij in l. 1. C. de emancip. liber. Bald. Castr. Ias. in l. imperium ff. de iurisdict. omn. iud. Alex. cons. 68. num. 18. lib. 2. Socin. cons. 111. num. 3. lib. 1.* & ratio est quia magis attenditur causa vniuersalis actuum, quàm ipsum exercitium particulare *Bald. in l. 1. in 2. lectura C. de emancip. liber. Felin. in cap. auditis num. 19. de præscrip. & fuit dictum in Militen. antiquitatis 16. Ianuarij 1617. coram bon. mem. Remboldo.*

7 Tertio tres sententias conformes, quæ transitum fecerunt in rem iudicatã declarantes dignitatem Archiepiscopalem posse liberè, & ad sui nutũ, & voluntatem etiam sine causa remouere curatos, quæ sententiæ & mandata de amouendo probant possessionem, *D. meus Decan. decis. 14. num. 3. Rot. dec. 101. num. 4. post Pacific. decis. 115. nu. 4. & 252. nu. 3. Posth.* qui idem tradit *obser. 29. nu. 2.*

8 Quarto ex binis mandatis de manutenẽdo, Primo à Prouisore, altero à D. Nuncio, quæ mandata dantur solis possidentibus vel quasi *Mantic. dec. 252. nu. 2. Caual. decis. 66. num. 2. post Zacch. de oblig. Cam. Posth. obseru. 29. num. 10.*

9 Quę licet in hoc iudicio possessorio satis superq. abundent, in eam tamen sententiam facilius inclinarunt Domini attentis infrascriptis.

10 Et primo quod Archiepiscopus Hispalensis est Parochus vniuersalis in tota sua Diœcesi, & administrat curam animarum per Curatos ad nutum amouibiles teste *Rota in Hispaleñ. primitiarum 15. Maij 1622. coram D. meo Nauarro decis. 166. num. 15 post Posth. de manutent. & decis. 480. par. 1. recent. in fin. & in Hispaleñ. decimarum coram D. meo Verospio 2. Mart. 1635.* vbi etiam dicitur in Diœcesi Hispaleñ. nullas esse Parochias distinctas, sed curam residere penes Archiepiscopũ. Vnde infertur nullum adesse beneficium curatũ vt tradit *Gonzal. glos. 6. nu. 65.*

11 Secundo attento statuto condito in limine fundationis beneficiorũ *Summ. num. 7.* quo cauetur quod omnes Curati omnium Ecclesiarũ sint in manibus Prælati, qui dictas Ecclesias possit commendare personæ sibi beneuisæ vsque ad beneplacitum suum. Considerando primo illa verba sint *in manibus Prælati,* quæ innuunt quod deputandi exercitio curæ animarum in dictis Ecclesijs pẽdeant à libera voluntate Archiepiscopi, ducta metaphora ab eo quod in manibus habemus, cuius retinendi vel dimittendi libera potestas pendet à nostra voluntate, vt declarat *Rebuff in l. mulieris appellatione 13. §. res ab esse vers. secundo nota ff. de verb. signif.* considerando etiam verbum *commendare,* quod nil aliud est, quàm deponere *text. est in l. Lucius Titius 14. ff. deposit. l. commendare 186. ff. de verb. signif. Gonzal. super reg. 8. glos. 5. §. 8. num. 38. Put. decis. 22. num. 2. lib. 1.* Deponens autem potest ad sui libitum repetere quod deposuit, nec propterea contra illum Depositario datur manutentio, sed bene è conuerso; & ratio est quia omnimoda possessio depositi est penes deponentem, *§. possidere instit. de interdict. Posth. obseru. 52. num. 4.* Considerando denique illa verba *personæ sibi beneuisæ vsque ad suum beneplacitum,* ex quibus claré elicitur huiusmodi curas nõ esse perpetuas, sed duraturas ad tẽpus regulandum à beneplacito Archiepiscopi, quod etiam comprobant testes, & sententiæ supradictæ, dum continent Archiepiscopum ad sui libitum, & voluntatem posse dictos Curatos amouere, id enim importat verbum *ad nutum, Garz. par. 1. cap. 2. nu. 85. Felin. in cap. per tuas de maior. & obed. num. 3. Rota decis. 778. num. 1. par. 1. diuers.* & etiam verbum *voluntas,* quod liberam, & non regulatam significat *Garz. vbi supra num. 85. Menoch. de arbitr. lib. 1. quæst. 7. Felin. in cap. 1. de constitut. sub num. 51. & fuit dictum in Hispaleñ. iuris nominandi 21. Maij 1638. coram D. meo Carrillo.*

12 Tertio attento tenore deputationis fieri solitę per viam simplicis licentiæ, de exercendo officium Curati nomine ipsius Archiepiscopi (de quibus mentionem facit *Rota d. decis. 480. num. 1. par. 1. recent.*) & videre est *Summ. nu. 8.* quod sonat in simplex præcarium, quod potest ad libitum reuocari, *l. 1. ff. de præcar.* ex quo fit vt possessio præcaria dicatur iniusta finita voluntate Domini, *Aretin. in §. retinendæ, num. 8. instit. de interdict.* In ijsq; licẽtijs Curati appellantur *seruitores,* vnde tanquam tales possunt quandocumque amoueri, sicuti seruitores in priuata domo, vt dixit *Rota decis. 50. num. 1. vers. tum quia de concess. præbend. in antiq.* ijsque tanquam seruitoribus certum salarium pendi solet, certæq; obuentiones & emolumenta hoc ipso salarij nomine assignantur, vt habetur in allegata *decis. 166. num. 11. post Posth. de manut.*

13 Non obstat, quod huiusmodi curæ, & beneficia tanquam sæcularia præsumantur perpetua, & non temporalia ad tradita per *Gonz. super reg. 8. glos. 5. §. 6. num. 7. Cassad. decis. 4. num. 2. de præbend. Mandos reg. 3. q. 11. num. 2. Paris. lib. 11. q. 3. nu. 92. de resignat. Caual. decis. 72. num. 3.*

14 Quia

14 Quia licet de iure sic præsumatur, & vera sit in dubio supradicta conclusio, non tamen per hoc tollitur quin fundatione vel statuto sæcularia etiam beneficia possint esse temporalia, seu manualia *idem Gonz. d. glos. 5. §. 6. nu. 8. Garz. de benef. par. 1. cap. 2. num 72. Lap. allegat. 67. num. 6. Mandos. reg. 34. q. 11.*

15 Minus obstat, quod in beneficijs manualibus seu temporalibus remotio saltē fieri non possit sine causa, vt refert *Gutierr. lib. 3. q. 11. Gonz. d. glos. 5. § 6. nu. 40. & seq.* adeoque interim competat manutentio propter statum considerabilē ad trad. *per DD. in cap. querelam de elect. dixit Caualer. decis. 72. num. 1.*

16 Quia verior est opinio asserentium in beneficijs manualibus remotionem fieri posse sine causa, vt concludit idem *Gonz. d. glos. 5. §. 6. num. 46.* qui respondet etiam contrarijs *Gutierrez*, qui etiam arguit ad partes, & demum hanc sequitur *d. lib. 3. q. 11. num. 18. Garz. par. 1. cap. 2. num. 8. Card. in clem. 1. §. præmissa. num. 4. in fin. Imol. num. 14. de supplen. neglig. Prælat. Dec. in cap. ad nostram. nu. 23. de confirmat. vtil. Sylua 3. par. quæst. 68. in fin. Nauar. comment. 2. de regul. nu. 65. Rodrig. quæst. reg. tom. 1. quæst. 34. art. 9. Ioan. Andr. in cap. cum singula circa fin. Gemin. num. 10. Ancar. num. 4. Franc. num. 5. de præbend. in 6.* eamque amplexa est *Rota decis. 77. nu. 1. part. 1. diuers. & fuit dictum in Burgen. amotionis 11. Decemb. 1581. coram Blanchetto, & in Rauennaten. emphyteusis 6. Martij 1637. coram D. meo Dunozetto*, & nouissimè *in Hispaleñ. iuris nominandi 21. Maij 1638. coram D. meo Carrillo.*

17 Et ratio est quia remouens vtitur iure suo, ideo remotus non potest conqueri, ex quo illi iniuriam non facit *Gonz. vbi supra num. 47. l. iniuriarum §. 1. ff. de iniurijs. cap. cum Ecclesia Volaterrana 31. de elect. l. nullus. ff. de reg. iur. Rot. decis. 1. de restit. spoliat. in antiq.* Ideoque nec Iudicis officium implorare potest ne remoueatur, vt dixit *Felin. in cap. per tuas. num. 4. de maior. & obed.*

18 Et quod habenti manuale beneficium seu Capellano ad nutum amobili manutentio, aut aliquod remedium possessorium non competat, tradit *Garz. d. par. 1. cap. 2. num. 87. dixit Rota in antiq. dicta decis. 1. de restit. spoliat. num. 1.* reprobata opinione *Innocentij d. gl. l. si quis conductionis C. locati, & decis. 6. eod. tit. in nou. Bald. in l. cum affirmes C. de liberal. caus. Rebuff. de pacif. possess. num. 329. & 330. & fuit dictum in dicta Hispaleñ. coram D. meo Carrillo*, & ratio est quia non possident, vt fuit dictum in proximè allegata *decisione Hispaleñ.* & tradit *Gambar. de offic. leg. in reseru. benef. n. 12.* vel si aliquo modo possidere dicantur, ista aliqualis possessio est limitata ad tempus scilicet donec remoueantur, *Garz. d. cap. 1. num. 87.* vnde illo elapso non dicitur amplius possessio ex natura temporis limitati, *l. Imperator, ff. de postuland. l. statuliberi, §. stichum, ff. de leg. 2. & fuit dictum in Elboren. distributionū 29. Martij 1599. coram Cordubâ* refert *Garz. d. cap. 2. num. 87. Decian. cons. 108. num. 19. lib. 3.*

19 Nec prædictis obstat allegata decisio *Caualerij* 72. Tum quia in eo casu manualitas non probabatur. Tum quia remotio facta erat ob maleuolentiam, & odium in remotos, vt ibi videre est *num. 5. in fin.*

20 Ita enim singulariter limitatur dicta conclusio, quod remotio fieri possit sine causa, dummodo absit odium, vel malitia, *Rota decis. 778. num. 3. part. 1. diuers. Card. in d. clement. 1. §. præmissa, num. 4. in fine, Butr. & Imol. num. 44. de supplen. neglig. Prælat. Franc. in d. cap. cum singula, num. 5. de præbend. lib. 6. Gonz. d. glos. 5. §. 6. nu. 48. & 51. Rota decis. 1. de restit. spol. in antiq.* & latè *in d. Hispaleñ. coram D. meo Carrillo, in dicta Burgen. amotionis 11. Decembris 1581. coram Blanchetto.*

21 Supradicta tamen limitatio in præsenti casu locum non habet, quia regulariter odium non præsumitur *Alberic. in l. iniuriarum actionum 1. & in §. si quis per iniuriam, ff. de iniur. Mascard. de probat. concl. 1132. num. 1.* & huiusmodi exceptio tanquam sapiens obiectum, est concludenter probanda, quod nullo modo fit in præsenti casu, *Rota decis. penult. & final. de excep. in nou. ad text. in cap. super his, & cap.*

acce-

accedens de accusat. Pauci etenim Curati, ex magno ac penè ingenti numero, qui per Archiepiscopum in tota Diœcesi deputantur, quique concordiam cũ Beneficiatis ab Ordinario initam impugnarunt, remotionem ex odio vel maleuolentia factam causari minimè possunt. Quia si ex hoc capite processisset amotio, multo plures, aut ferè omnes fuissent amoti. Imò vtentem iure suo non facere in odium dixit *Alciat. reg. 3. præsumpt. 23.* nec ad æmulationem *Hondted. cons. 89. num. 34.* & quamlibet causam etiam bestialem ab odio, vel malitia excusare fuit dictum *in dicta Hispaleñ. iuris nominandi coram D. meo Carrillo, Lanc. de Capell. lib. 2. cap. 6. num. 23. & seq. ex l. igitur, ff. de liber. caus.*

22 Nec obstat, quod huiusmodi mutatio sit intollerabilis, vt arguebat *Gutier. dicta quæst. 11. lib. 3.* Quãdoquidem est in limine fundationis permissa, & ex hac resultare potest fauor cultus diuini: Curati enim ob timorem expulsionis accuratius inseruient Ecclesię, vt dixit idem *Gutier. dict. q. 11. num. 23.*

23 Demum cessare videtur hoc casu omnis difficultas, quia dicebatur huiusmodi curas nedum verè esse beneficia perpetua, sed nequidem manualia, sed potius officia ad exercendum scilicet nomine Archiepiscopi curam animarũ in eo tantum residentem, quod liquidè patet ex ijs verbis quæ in licentijs apponuntur, & sæpius replicantur, *damus licentiam, vt posis deseruire officio Curati,* & ibi *exerceat officium Curati,* & ibi *ratione dicti officij,* &c. Aut vt dicam temporales Vicarias, quæ nec dantur in titulum, nec sunt beneficia, *Gonzal. glos. 5. §. 3. n. 35. Garz. part. 1. cap. 2. num. 93. Rebuff. de nominat. quæst. 15. num. 61.* neque ad eas requiritur collatio aut institutio, sed sola approbatio Episcopi, & licentia administrandi Sacramenta, vt per Archiepiscopum Hispaleñ. seruatur, idem *Garz. ex mente Sac. Congregat. Concilij allegato num. 93.*

24 Vnde dicti Curati solùm dici possunt Adiutores Episcopi in exercitio curę, non autem verè Beneficiati perpetui aut manuales, vt in Diœcesi Calagurritana notat *Gonz. glos. 6. num. 68.* sequendo *Oldrad. cons. 67. nu. 3. Caputaq. dec. 340 num. 4. par. 3.* seu potius Vicarij temporales quo nomine Vicarij illos appellat *Rota in allegata decis. Hispaleñ. 2. Martij 1635. coram D. meo Verospio,* seu verius Ministri, & propriè seruitores, vt expresis verbis nuncupant supradictę licentiæ ibi, *deseruiat officio,* & ibi *pro tali seruitore admittant.* Vnde tanquam salariati seruitores in priuata domo, possunt quandocumque etiam sine causa amoueri, vt supradictum est ex allegata *decis. 50. de concess. præbend. in antiq.* & sæpius laudata *decis. Hispaleñ. iuris nominandi coram D. meo Carrillo.*

25 Quę quidem magis clarè demonstrant iustitiam manutentionis pro D. Archiepiscopo, ad quam soli testes de quasi possessione deponentes sufficerent ex supra allegatis.

26 Neque veró visum fuit obstare, quod pro parte Curatorum opponebatur testes nulliter examinatos fuisse à Prouisore post inhibitionem Rotalem, quę semper est timenda *Ludouis. decis. 435. per tot. Andreas decis. 16. & 34.*

27 Quia obiectum cessabat ex facto. Inhibitio enim non emanauit super hac causa, sed super lite obseruationis concordiæ cum Beneficiatis, quæ nihil cõmune habet cum hac lite super iure amouendi Curatos.

28 Et ex his Domini dixerunt dandam esse manutentionem Eminentissimo D. Archiepiscopo vtraque parte informante.